

Hunc librum Musis
suis inservientem
iure possidet
Theodor Mahlmann

Comparati mihi
Witzeb.
p. mat. 12. q.
p. hinc. 4. q.
Al. Joh. Reibel.
1624.

COLLEGIUM
DE SACRAMENTIS

Disputatio Undecima

De
BAPTISMI FINE
ET EFFECTU.

Quam

Annente J E H O V A H

SUB PRÆSIDIO

Dn. BALTHASARIS MEISNERI
S. S. Theol. D. & P. P.

*In Collegio privato examinanda
proponit*

M. ANDREAS Herrenschmidt Ulmenfis
Facult. Philos. Adjunctus.

*Habebitur ad diem 22. Octob. horis pomeridianis
in Auditorio minori.*



WITTEBERGÆ,

Ex Officina Johannis Gormanni,

ANNO M. DC. XX.



VIRIS

*Admodum Reverendis
& Clarissimis*

Dn. M. JOHANNI Flecken/
Ecclesiae Custrinensis ac vicinarum
Superintendenti, ut & Dicasterij
Ecclesiastici ibidem assessor
fori &c.

Dn. M. PERTO Dubern/ Ec-
clesiae Ulmensis in summo templo
ministro dignissimo & me-
ritissimo.

Dnn. suis Fautoribus.

Offert & Consecrat.

Resp.

WILHELMUS
Ex Officina Johannis Gormann
ANNO M. DC. XX



Cens Calviniana si probius illius Augustini perpenderet, si vides, non est fides, non ita crebro in articulos fidei impingeret, aut si rationem non pro lucerna pedum constitueret, non ita frequenter in iisdem aberraret. Quemadmodum autem visui nostro, solis lumen subducitur, quando lunare corpus se inter oculum mundi & nostrum interponit, & eam ob causam horrenda eclipsis existit: ita quando Calvinii sectatores, perversæ rationis lumen, patiuntur radios solares sanctæ scripturæ, sibi eripere, fieri non potest, quin tenebræ plus quam Cimmeriæ in Doctrina ipsorum orientur, in quibus hæerere eos necesse est, quousque oculis & intellectus ratiocinio plus credunt, quam Spiritui Sancto. Sic in negotio de baptismo, quia aquam tantum vident, facit confidentia in rationem & sensus, ut plus in illo adesse credere nec velint nec possint. Cogitare autem deberent, majorem esse debere autoritatem Sp. S. plura baptismum continere & efficere, docentis, quàm oculi pauciora cernentis. Quam miserè autem hallucinentur in doctrina de fine & efficacia baptismi, hac disputatione docebitur, & circa eandem

eandem graviter errare Pontificios, qui h^{ic} in excessu peccant, ostendetur; non neglecta via regia, Sanctæ Scripturæ, veriore sententiam nobis communicantis præeunte quoq; Reverendo & Excellentissimo Dn. Præfide in prælectionibus, ne ingrati illum sua laude de fraudem, cuius fidelissima & acuratissima hujus particulæ tractatio ut nobis prævia est, ita immortales gratias sibi deposcit.

THE SIS I.

Fines alij sunt principales, alij minus principales. *Ad eos, quicunque à Theologis recensentur baptismi fines, qui sunt numero plurimi, referri posse arbitramur.*

II. *Minus principales sunt isti. 1. Testimonium infitionis in Ecclesiam. Act. 2. v. 30. Gal. 2, 27. 1. Cor. 12, 13. 2. discretio ab alijs sectis, hinc baptismus Augustino dicitur character Imperatoris Christi. 3. Admonitio de cruce. 4. de unitate fidei & morum. 5. de morte sepultura & resurrectione Christi Rom. 6. v. 2. & seqq. 6. de mortificatione & renovatione naturæ nostræ. 7. medium conservandi & propagandi Christianam religionem.*

III. *His in finibus Calviniani nobiscum sentiunt ut ex Bucani Instit. p. 692. Polani. Syntag. l. 6. c. 55. fol. 495. patet.*

IV. *Principales quod attinet, ponimus illos 1. regenerationem & remissionem peccatorum ut patet*

ex Mar. 1, 4. Luc. 2, v. 3. Ioan. 3, 5. Act. 2, 38. Tit. 3, 5. 2.
Vite novitatem Rom. 6, 3. Col. 2, 11. 3. ingressionem &
receptionem in Ecclesiam & foedus Dei. 4. obsigna-
tionem hujus receptionis & sigillum divina volunta-
tis 1. Pet. 3, v. 21. Rom. 8, 15. Gal. 4, 16. 1. Ioan. 5, v. 8.

V. Hi autem effectus & fines in quolibet in-
fante baptismum recipiente reperiuntur, quip-
pe non restitunt actu. Adultos quod attinet, si sint
fideles, adeoq; renati, baptismus fidem in illis confir-
mat & obsignat: sin hypocritæ, offertur quidem
gratia, sed ob incredulitatem non confertur. Hoc au-
tem per accidens est, quod baptismi efficacia, quam
alioquin per se habet non exeratur.

VI. Longè aliter gens Calvinistica sentit. Nam
Christianorum liberos. 1. fideles nasci cum in foedus
sint ante baptismum recepti, profitentur. 2. negant
per baptismum fieri regenerationem: unde. 3. signū
tantum regenerationis vocant, quam in adultis, si
fides adsit, demum locum habere, aiunt. propullulat
hinc 4. duplex illorum baptismus aque & spiritus,
internus & externus, quorum illum. 5. ad salutem
non esse necessarium blasphemant.

VII. Et quamvis alienam nos ipsis mentem non
affingere, scripta eorum testentur, ex abundantia ta-
men videri possunt Calv. 1. 4. instit. c. 16. s. 22. Beza in
colloq. Mompelgart. ad dog. 1. & 2. de bapt. p. 433. & ad
dogma 8. & 9. p. 435. it. in alter. p. quest. & resp. q. 111.
in Creophag. fol. 176. Rennech. in aux. catena p. 224.
Quibus nos in genere opponimus Ezech. c. 47. Matth.
10. Luc. 18. Ioan. 3, v. 6. Job. 14, 4. Ps. 51, 7. Habac. 2.
Rom. 1. Mar. c. 16.

IIX. Singulas has adversariorum positiones diluemus, sanctâ scripturâ præviâ. Itaque quoad primum dicimus, Christianorum liberos fideles non nasci, sed potius esse carnem, immundos, in peccatis conceptos, peccatores, filios iræ, ex sanguinibus non-filios Dei.

IX. Patet hoc ex dictis peccatum Originis demonstrantibus; omnes homines sub incredulitate includentibus, & oppositum manifestis verbis & optimâ consequentiâ docentibus; qualia sunt p. citata, partim Ψ . 51, 7. Ioan. 3, 6. Rom. 3, 23. & 12. Eph. 2, v. 3. 1. Ioban. 1, 12. quorum vis tanta est ut etiam adversus inferorum portas efficaciter valeant; quibus ex abundantâ orthodoxæ antiquitatis cōsensus adjici potest.

X. Promissio de receptione in fœdus Dei, facta Gen. 16, 7. explicatur & limitatur c. 17. in Circumcisionis institutione. Si enim promissio fœderalis simpliciter præstat, quod Calviniani volunt, frustra Deus circumcisionem negligentibus, minitatus fuisset deletionem ex populo DEI.

XI. Loci Rom. 11, 16. & 1. Cor. 7, 14. perperam citantur. Nam ibi sermo est de sanctitate vocationis non regenerationis. Unde turpe $\sigma\acute{o}\phi\iota\sigma\mu\alpha$ ἐστὶ ἐγγὺς τῆς εὐσεύς committitur ab adversâ parte.

XII. Hunc vero locum quod attinet, explicatur vel Ecclesiasticè, vel Politicè; nos hac vice & pro hoc tempore posteriorem defendemus interpretationem. Nam datur quintuplex sanctitas. 1. Civilis ex legitimo thoro natorum, de qua nonnulli textum hunc accipiunt. 2. Ecclesiastica, per quam promissio fœderis

deris natos attingit, & aditus ad Ecclesiam patet, quomodo etiam Christianorum liberi sancti vocari possunt. 3. Interna seu specialis quam dum urgent Calviniani, negant infantibus adhaerere peccatum Originis: quae etiam hoc in loco non attingitur, cum de tali sanctitate sermo sit, secundum quam infidelis conjux per fidelem sanctificatur, quod de interna sanctitate accipi non potest. 4. Fœderalis in qua adversarij dum eam nob. obtrudunt principium petunt. 5. Politica seu legalis.

XIII. In lege enim immundi erant Levitice, cum quibus non erat licitum conversari. De hac munditie videtur Apostolus loqui, ita ut sensus sit sanctitas filiorum deducitur ex sanctitate parentum.. Cum autem illa sanctitas non sit spiritualis, neque fœderalis sed tantum conversationis Christianae, quae propter cohabitationem cum fidele, Christiani libere conversantur cum infideli, quod extra cohabitationem banc non fieret, ita haberi filios quoque sanctos id est, pro talibus, quibus cum propter alterutrum parentem conversari alij possint.

XVI. Porro cum medium nullum aliud dari possit, cujus beneficio ad Ecclesiam transeamus & in fœdus recipiamur, quam Baptismus, non immerito hunc salutiferam illam januam aestimamus. 1. quia per hunc Christum induimus. 2. quia cum immundorum regnum cœli non sit, ubi immunditiei ablutio, ibi initium salutis; illam autem per baptismum fieri ex Eph. 5, 7. constat. 3. quia cum non nascamur sancti, neque in fœdere nascimur, in illud E. tantum per Baptismus recipimur.

XV. Sordida ergo vox Bezae est, quando scribit, sordidum errorem esse, initium nostrae salutis baptismum statuere, cum potius ad fœderis divini ingressum sit, nasci ex pijs parentibus non autem baptisatum esse. Resp. ad Act. p. 130.

XVI. Verum distinguat Calvinista inter potentiam ingrediendi & actum: illa nativitati debetur, hic baptismi, quod ex Scriptura, ut ostensum liquet.

XVII. Porro asserimus Deum efficaciter per Baptismum conferre regenerationem, remissionem peccatorum &c. quam thesin aphorismo 2. & 3. Calvin. oppositam volumus, in quibus sibi gratulari possunt de affinitate Anabaptistarum, & Photinianorum, qui similia docere non metunt.

XVIII. Quid enim aliud sibi vult Zwinglius, quando dicit, baptismum externum nihil facere ad peccatorum ablutionem. Beza, quando in Colloq. Mompel p. 445. eam representationem tantum, spiritualis lavacri adfirmat, quam baptismum nudam ceremoniam esse.

XIX. Nos cum Scriptura profiteamur, Baptismum quemadmodum Verbum, esse potentiam ad salutem, & lavacrum hoc esse efficacissimum medium, per quod fides in infantibus accendatur, adeoque operari remissionem peccatorum, liberare à morte & Diabolo, donare eternam beatitudinem &c. ut in Catechesi cum B. Luthero dicimus.

XX. Probatur thesis nostra. i. ab asseratione Christi

Christi manifesta Ioan. 3, 5. Mar. 16. 2. ex actis apostolicis c. 2, 37. c. 22, 16. 3. a testimonijs Paulinis Rom. 6, 3. 1. Cor. 12, 13 Gal. 3, 27. Eph. 5, 26. Col. 2, 12. Tit. 3, 9. 4. ab affirmatione Petrina. 1. Pet. 3, 21. 5. a typis, inter quos Circumcisio, cuius in locum successit Baptismus, eminet. Quibus si addas absurda ex adversariorum sententia profluentia; & pro nostra thesi patres orthodoxos, manifestum erit, quam graviter hoc in negotio Calvin. hallucinentur. Vid. Aug. l. retract. Bed. in Ioh. l. 1, c. 3. Ambros. l. 10. ep. 84. & l. 1. de Sp. S. c. 7. Origen. hom. 15 in Iosuan. Nazianz. orat. de Bapt.

XXI. Quae contra adferunt, pleraque fallaciae divisionis laborant, dum putant, nos aquae tribuere, quod aquae & Sp. S. tribuendum esset, quem tamen nunquam exclusimus, sed potius feliciter ex eius praesentia in baptismo ipsos premimus: item quod pro oppositis habeant, quae tamen ὑπὰ ἄλλα sunt.

SXII. Quandoquidem ergo tanta vis baptismi est, an infantes etiam ante discretionis annos eius participes reddantur, a multis disbitatum est, a nostris nunquam. Mori enim sumus locis scripturae supra allatis de vi Baptismi loquentibus, & ita quidem eam demonstrantibus, ut tum regenerationem fieri credamus, quando baptismus confertur; partim quod infantes credant, laudent Deum, iustificentur, purgentur & salventur, quemadmodum ex Ps. 8, 3. Marc. 13. 14. constat; partim quod ipse Calvinus l. 4. Institut. c. 16. s. 17. infantes in hac infantili etate constitu-

A §

constitu-

constitutas, probet regenerari posse, exemploq; Ioannis Baptistæ demonstrat.

XXIII. Frustra igitur fingit gens Calviniana duplicem Baptismum, internum & externum, aquæ & Spiritus, quorum ille in infantia locum habeat, sed sine efficacia illa, quam laudavimus; alter autem ætatis progressu se exerat, ubi Spiritus sanctus, verbo ipso tempore baptismi in adultis regenerationem operetur.

XXIV. Nam. 1. nobis unus est Deus, una fides, unum baptisma Eph. 4, 5. unde Colligimus: Quod SS. unum simplexq; esse dicit, & ita quidem unum, sicut Deus est unus, istud geminum fingi aut distrahi non debet: Atqui talis est Baptismus. E.

XXV. Quod Beza unitatem nihilominus stare posse asserit, si Baptis. $\sigma\upsilon\nu\acute{o}\lambda\omicron\varsigma$ consideretur, licet $\kappa\alpha\tau\ \mu\acute{\epsilon}\sigma\eta$ duplex sit, evertitur ex eo, quod in his partibus constituantur ab adversarijs disiuncti dispensatores, Spiritus sanctus & minister, diversa media, aqua & sanguis Christi; duo fines, nuda obsignatio & vera obsignatio; duo effecta, corporis ablutio & purgatio animæ; duo subjecta electi & reprobi, quorum illis ablutio internam, his externam tantum tribuunt, quæ singula unitatem Baptismi destruunt.

XXVI. Ostenditur, 2. unitas hæc Baptismi ex natura Sacramentali, quæ exigit complete non modò rem terrestrem sed & cœlestem. Iam cum in externo Baptismo sit tantum aqua, in Interno tantum sanguis Christi, vel Sp. S. hæc disiunctio unum
Baptis-

Baptismum Calvinis adimit. 3. ab effectu externi
Baptismi unitas hæc ducitur, qui infantem in-
terne quoque abluere, supra ostendimus.

XXVII. De hypocritis hic queri solet, an etiam
vis baptismi illos attingat? Nos dicimus cum ne-
mo filius Dei esse possit nisi per fidem Gal. 2, 26. hypo-
critæ autem fide careant, negamus in filios per ba-
ptismum adoptari. Non tamen infidelitas hypocritæ,
fidem Dei evacuat, defectus in ipso incredulo est De-
us enim suâ ex parte pactum hoc perpetuum esse cu-
pit, ratione fœderis semel initi. Quod si tamen hypo-
crita baptisatus, poenitentiam egerit, incipit ei ba-
ptismus salutaris esse, quemadmodum Simonis Magi
Act. 8. exemplum ostendit.

XXIIX. Restat adhuc ultimum de necessitate
Baptismi. Ultimus aphorismus Calvinisticus est, Ba-
ptismum aquæ non esse necessarium, & qui-
dem sine ullâ limitatione hæc docent, unde opinio-
nem hanc ut erroneam non immerito rejicimus &
necessitatem Baptismi urgemus.

XXIX. Distinguimus autem inter necess. abso-
lutam & hypotheticam. inter modum salvationis
ordinarium & extraordinarium. Baptismum or-
dinariè, necessitate hypothetica requiri ad sa-
lutem nos asserimus. Nam absolutè non requiri, do-
cent. 1. infantes fideiû ante baptismum morientes,
quos extraordinariè salvari Reverendus & Ex-
cell. Dn. D. Præses disp. 7. Anthrop. sac. q. 1. luculen-
ter ostendit. 2. Catechumeni credentes, ante bap-
tismi tamen susceptionem decedentes.

XXX. Extra hunc autem vel necessitatis vel privationis casum, firmiter tenemus, nullum absque baptismo salvari, & quidem cum propter necessitatem mandati, tum propter necessitatem medij.

XXXI. Hunc enim Deus ordinem servat, & servatum vult, ut omnes per hanc, non autem per aliam januam in Ecclesiam ingrediantur. Neque nudum signum esse Baptismum voluit, sed efficax instrumentum gratiae & regenerationis. Cum enim filij iræ naturâ simus, ut gratia filij stamus, necesse est Baptismo utamur, præter istum enim nullum aliud reconciliationis medium est præscriptum.

XXXII. Ultraque autem illa necessitas evidens est 1. ex asseveratione Christi Ioan. 3. v. 5. ubi nota. 1. Severissimam comminationem, quæ non baptisatos ex regno Dei excludit. 2. particulam nisi, necessitatem inferentem. 3. Adverbium jurandi Amen Amen, quæ est infallibilitatis nota. 4. verbum impossibilitatis, non potest. 5. copulam E T aquam cum Spiritu, utrumque cum renascentia connectentem. 6. ætiologiam annexam.

XXXIII. II Ex necessitate Circumcisionis, in cuius locum Baptismus successit Col. 2. v. 11, 12. III. Ex conjunctione fidei & Baptismi Marc. 16, 16. Si n. fides est necessaria ad salutem E. & Baptismus, habent enim se ut relatæ, quorum uno posito, etiam alterum ponitur. IV. Ex necessitate finis qui est regeneratio & adoptio. V. ex Exemplis Ne-
minens

minem enim Apostoli ad Ecclesiam admiserunt, nisi
Baptizatum. VI. ex mandato Christi Matth.
28.

XXXIV. Pontificios quod attinet in presenti
negocio habemus eosdem non modo adversarios
sed etiam nostræ sententiæ Calumniatores: &
errores & calumnias breviter perstringemus.

XXXV. Bellarminus l. 1. c. 12. quatuor nobis af-
fingit. 1. quod statuamus baptisatum non posse da-
mnari, etsi velit, nisi nolit credere. 2. quod baptismus
nos liberet ab obedientia divinæ legis. 3. quod liberet
ab observatione legis Ecclesiasticæ. 4. Quod Bapti-
smus omnia vota faciat irrita.

XXXVI. Primum & secundum mera calumnia
est: tertium etiam mendacium, cum leges humanas
conscientias non obligare tantum asseramus. Quar-
tum itidem falsum, si legitima vota sint.

XXXVII. Ponit autem ipse quatuor insignes
errores. 1. Baptismum tollere omnem pœnam &
culpam, qui error in loco de peccato refutatur. 2. con-
ferre gratiam ex opere operato qui error in superio-
ribus disputationibus profligatus. 3. Quod imprimat
characterem de quo ibidem. 4. Quod per fidelem ba-
ptismi recordationem peccata non remittan-
tur.

XXXIIX. Ultimo huic erroneo effato, opponi-
mus. I. fœderis Dei immutabilitatem. Rom. 11, 29.
Rom. 3, 3. 2. Tim. 2, 23. II. exempla pœnitentium.
Vide 1. Pet. 3^a 21. Gal. 3, 27. III. exempla circumci-
sorum. Hi enim erigebat se memoria circumcisi-
onis.

nis. 7. Sam. 14, 6. 1, Sam. 17, 26. 36. unde sigillum iustitiae Circumcisio vocatur Rom. 4, 11. IV. Permutationem temporum in scripturâ Sacrâ. Hæc enim de effectu Baptismi loquens modo presenti modo præterito, modo futuro utitur. 1. Pet. 3, 11. Eph. 3, 5. Mar. 16, 16. V. Convenientiam verbi & Sacramentorum Ill enim efficacia verbi prædicati non tollitur per præcedentem impietatem: sic etiam neq; efficacia baptismi.

XXXIX. VI. Hypocritarum Baptismum VII. Naturam conversionis. Si per pœnitentiam homo eò revertitur, unde excidit, sequitur pœnitentiam esse reditum ad fœdus Baptismi: Verum est prius E. & posterius Reser. hæc insignem locum Apoc. 2. v. 5.

XL. Non autem frustra adeò acriter Pontificij pro hoc errore pugnant. Nam si fateantur per recordationem Baptismi condonari peccata, caderet. 1. Salutis incertitudo. 2. purgatorium. 3. satisfactiones pœnitentiales. 4. dogma de opere operato.

XLI. Tandem hic quæri potest, an baptismus sit reiterandus. B Chemnitius in Ex Can. 2. Conci. Trid. dicit nonnullos statuisse baptismi repetitionem; Orthodoxi tamen negativam ut veriore[m] acceptant.

XLII. Principalis causa est quod careamus expresso mandato; Si vero quis alteriorem causam postulet, dicimus cum Deus temerè nihil egerit, licet consilij

consilij huius rationem ignoremus satis est si in di-
vina sententiâ humiliter acquiescamus.

XLIII. Ex abundantia tamen Theologi propter
Pontificios causas reddere conantur, qui caracte-
rem unicam causam non repetendi baptismum asse-
runt ut ex Bellarm. l. 2. de Sacr. in genere c. 22. liquet
& partim probabiles, partim magis necessarias ra-
tiones nostræ thesæos adserunt quarum has attigisse
satis est.


XLIV. Non itaque repetitur Baptismus. 1. ut
dictum ob absentiam divini mandati. 2. ob immu-
tabilitatem fœderis divini. 3. ob defectum exem-
pli. 4. ob unitatem circumcisionis. 5. ob inutilita-
tem reiterationis. Hinc Gregor. hom. in Evang.
peccata nostra in Baptismatis perceptione la-
xata sunt, & tamen post Baptisma multa com-
mittimus, sed lavari iterum Baptismatis aquâ
non possumus.

XLV. Pro tam insigni verò beneficio in hoc la-
vacro præstito, Age ô anima mea, benedic Domino,
& omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius:
Benedic anima mea Domino & noli oblivisci re-
tributiones ejus: Qui propitiatur omnibus ini-
quitatibus tuis, qui sanat omnes infirmita-
tes tuas: qui redimit de interitu vitam tu-
am: qui coronat te in misericordia & mise-
rationibus: qui replet in bonis desiderium tuum.
renovabitur ut aquilæ juvenus tua Misera-
tor

tor & misericors Dominus longanimis &
multum misericors. Quocirca exaltabo te De-
us meus Rex: & benedicam nomini tuo in seculum
seculi. Per singulos dies benedicam tibi, & lauda-
bo nomen tuum in seculum & in seculum seculi. Ma-
gnus Dominus & laudabilis nimis &
magnitudinis eius non
est finis.

F I N I S.






Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



REGII
MENTIS
decima
FINE
ECTU.
HOVAH
IDIO
S MEISNERI
& P.P.
examinandam
enschmidt Ulmenfis
Adjunctus.
ob. horis pomeridianis
minori.
ERGÆ,
nis Gormanni,
OC. XX

